

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De praeparatione Veneris

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

ni & alumine Jameni & cum aceto multotiens imbibendo, ut de Jove factum est. Desiccetur & imbibatur, & teratur, donec per beneficium dictorum omnis dicta immunditia fuerit delera. Tunc apponatur de vitro cum his prædictis: & descendat per botum barbatum corpus purum descendendo reductum. Iterum calcinetur cum sale armoniaco puro, ut de Jove factum est. Teratur sæpissime, & dissolvatur per modum prædictum. Ipsa enim est aqua de argento vivo & sulphure proportionabiliter facta: qua utimur in rubei elixir compositione. Et hæc de Saturni præparatione dicta sufficiant.

*De præparatione Veneris.*

**P**Ræparatur Venus optime per hunc modum. Ponatur Veneris stratum super stratum de sale communi optime mundato in crucibulo, & desuper ipsius laminam, & desuper salis stratum, & desuper lamina: & sic vicissim, donec vas fuerit completum: & cooperiatur & lutetur, & collocetur in furno calcinationis. per diem naturalem. Tunc deponatur & abradatur quod calcinatum fuerit: & reponantur laminæ cum sale novo: & sic alternata vice calcinentur, donec omnes laminæ fuerint consumptæ seu corrosæ per beneficium salis

lis & ignis, quia sal corrodit superfluam humiditatem & sulphureitatem combustibilem: & quia ignis elevat substantiam fugitivam & inflammabilem cum proportione debita. Teratur tunc pulvis iste minutissime, & lavetur cum aceto, donec nigredine careat. Aquam exinde emanantem tunc altera vice de sale novo mundato; & aceto imbibatur & teratur. Iterato & mundato, & post contritionem ad furnum calcinationis in vase apto imponatur, stetque ibi per duos dies naturales. Deinde extrahatur & teratur, & pascetur bene & subtiliter: & abluatur bene cum aqua tam diu; donec ab omni immundicia fuerit mundatum & purgatum: Tunc desiccetur ad solem bene: & tunc apponatur medietas ejus de sale armoniaco & optime terantur, donec pulvis substantia impalpabilis fuerit. Tunc super ignem sublimando & sublimationes reiterando, donec sal armoniacum cum calce remaneat in fundo cucurbitæ: Et post deponatur sub divo, aut in furnum solutionis, vel in resolutionis fimo; donec quidquid est solubile fuerit solutum, renovando sal armoniacum si fuerit necesse, donec aqua totum fiet. Hanc aquam honora, quam aquam sulphuris fixi nominamus: cum qua tingitur elixir usque in infinitum. Et hæc sufficiant de Veneris præparatione.

De